

alia. Quod præditum est animâ rationali, illud est risibile. Omnis homo præditus est animâ rationali. Ergò. Hîc regredior sicpote: Omne risibile est rationale. Omnis homo est risibilis. Ergò omnis homo est rationalis. Item: Omnis justificatus pacem habet cum Deo. Omnis verè credens est justificatus. E. omnis verè credens pacem habet cum Deo. Hæc est demonstratio à priori. Hanc converto cum demonstratione ab effectu: Quicumque pacem habet cum Deo, est justificatus. Omnis verè credens pacem habet cum Deo. Ergò omnis verè credens est justificatus. Usus hujus reciprocatationis est geminus. 1. Potest huic causâ esse notior effectu, illi verò effectus notior causâ. Itaq; pro personis nunc hæc nunc illa fiat demonstratio. 2. Potest aliquis unâ eâdemq; commentatione & discursu primùm per effectum causam invenire; deinde per eandem causam eundem effectum cum fructu demonstrare. Vide magnum illum oratorem Gallicanum *Molinaum. l.2. Logic. cap.3.* eundemque disputatorem exercitatissimum.

*Cap.20. Syllogismus necessarius non-
apodicticus.*

Syllogismus non-apodicticus, est syllogismus necessarius, cujus medium aliunde, quàm ex loco causæ externæ proximæ & effecti depromitur.

Potest vocari *dicticus*, ut & suprà monuimus. Nimirum hoc medium peti potest ex omnibus locis inventionis præter locum causæ externæ proximæ, itemque effecti immediati. Hic enim locus suppeditat media demonstrationis, ut diximus cap. anteced. Necessum igitur erit hîc percurrere loca illa à nobis tractata suprà *lib.2.3.4.5.* & id quidem sine tautologiâ facere poterimus. Nam suprà explicavimus illorum locorum naturam, quid videl. & quotuplex sit causa, causatum &c. item indicavimus aptitudinem illam, quâ possint referri ad extrema quæstionis. Nunc hoc loco duntaxat de iis agimus, quatenus actu recipiunt relationem ad extrema quæstionis seu thematis conjuncti.

Medium